



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titvlvs I. De vita & honestate Clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

tatem clerici defendere debent, & omnem profanationem, ac irreverentiam præcavere. *tit. 49.* quæ profanatio nè per illos ipsos fiat, nè dignitati clericali generetur præjudicium, ab omni momentur negotio sæculari abstinere, de quo agit *tit. 50.* & ultimus huius libri.

TITVLVS I.

De

vita & honestate Clericorum

QUÆRES Quotuplex sit vitæ honestas, quam quidem ab omnibus Christianis, præ primis autem à clericis utpotè in sortem Domini vocatis exigit Deus? Resp. duplex est, una interna, quæ consistit in puritate animæ, & gaudio illæscæ conscientiæ; altera externa, consistens in actionibus & moribus, ad normam Ss. Canonum & præscriptum divinæ legis ordinatis. Morum integritas in clericis requiritur *mo.* continentiam vel castitatem & vitam tam puram, ut ne quidem incontinentiæ suspitione coram hominibus maculentur *cap. 13. b. t. 2do.* sobrietatem & abstinentiam à crâpula & ebrietate *cap. 4. b. t. cum* vinum sit libidinis in centivum *proverb. cap. 20.* quod Innocentium II. movit ut clericis provocationem ad æquales haustus & frequentationem tabernarum interdiceret *cap. 1. ne clerici vel monachi. 3tio.* fugam avaritiæ à quâ status clericalis plurimum infamatur; hinc eisdem prohibentur usurarij contractus, negotiationes sæculares *cap. fin. b. t. & cap. 6. ne clerici vel Monachi. 4to.* decentem habitum; cuius decentia licet

licet ex usu regionum & ordinatione Episcopi desumenda videatur, eum tamen Sixtus V. speciali Bullâ quæ incipit *cum sacro sancta*. publicatâ Romæ. 18. Januar. 1589. Thalarem esse voluit, non militarem, non viridem non rubrum, habitu Cardinalium excepto, nec alias ad luxum compositum; quem si Clerici etiam in minoribus constituti beneficium tamen ecclesiasticum obtinentes, non deferant, pœnâ suspensionis coercendi veniunt, *cap. 15 & Clem. 2. h. t. & Trid. sess 14 c. 6. de refor.* Si sine beneficio fuerint, hanc quidem pœnam evadunt, verumtamen privilegio fori non gaudent; 5to, requirit tonsuram clericalem sive coronam in Capite; 6to denique abstinentiam ab omni eo, quod conceptam interiùs devotionem destruere, & statum clericalem dedecere posset; hinc prohibita est Clericis venatio, maximè clamorosa; armorum gestatio; lusus histrionum publici; officia lanionum, tabernariorum, &c. quod si ter moniti non resipiscant, infames fiunt, & privilegia à Jure concessa amittunt; verum hæ sanctæ dispositiones canonum parum attenduntur, dum in luxu vestium & dissoluto vivendi modo Clerus imitatur populum & sæpiùs Sacerdotes sponsis similiores sunt quàm Clericis, verificantes querelam *Isaia c. 24. sicut populus sic & sacerdos. vid. Trident. sess. 2. sess. 14. cap. 62 sess. 22. cap. 1. sess. 24. cap. 12. de reform.*



T

TITU.